



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio VI. In Titulum VI. qui Clerici, vel voventes matrimonium
contrahere possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)



QUÆSTIO VI.

In Titulum VI, qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.



Hoc titulo agitur de duplici impedimento matrimonii, nimirum *Ordine*, & *voto*; ac exponitur, an, & qualiter non modò Clerici, propter susceptos ordines; sed etiam alii propter emissum aliquod votum, porisimum verò castitatis, Religionis, aut ordines suscipiendi, matrimonium contrahere valeant, aut non valeant.

ARTICULUS I.

De impedimento ex Ordine.

938. Quæstio esse potest, 1. an quatuor minores ordines sic ordinatis præsentis impedimentum ad matrimonium contrahendum? Resp. ex vi eorum præcisè ordinum, nullum illis præstari impedimentum. Nam ejusmodi Clericis conjugia non denegantur *c. si qui verò, dist. 32. §. c. quia tua. §. si qui. 12. q. 1. item ex c. 1. de Cleric. conjug. quod l. 3. eod. titulo pluribus exposuimus; & ratio est, quia non modò nullum jus positivum id prohibet; sed nec etiam ipsa rei natura. Nam ordo ex se, & naturâ suâ stat non tantùm cum matrimonio antè contracto, sed etiam contrahendo. Olim enim in Ecclesia Orientali, & apud Græcos, Clerici *minores* (hoc est, in sacris ordinibus nondum constituti) matrimonium inire eoque jam inito ad sacros ordines ascendere, & matrimonio uti permittebantur. *c. aliter. dist. 31. c. Cum olim. 6. de Cleric. conjug. c. quæstum. 7. de Pœnitent. idem à fortiori sequitur de his, qui primâ solum tonsurâ initiati sunt.**

Quæstio tamen est, 2. an tales Clerici licitè etiam, ut possunt, matrimonia contrahentes, eo contracto beneficia prius obventa retinere valeant? Resp. Clericum conjugatum esse incapacem beneficiorum;

nam Laicus non est capax beneficii, *c. Cum adeo. 17. de Rescript. at Clericus conjugatus habetur in omnibus, ut Laicus, exceptis casibus expressis. c. unic. b. t. in 6. & ita docet Lessius l. 2. Jus. c. 34. d. 21. adeo, ut nec dispensatione Episcopi beneficium etiam simplex obtinere possit; Sanchez *cit. d. 42. n. 18. excipe, nisi duxerit Virginem, & perpetuam continentiam voverit; c. sanè | b. t. modò etiam Uxor, vel monasterium ingrediatur, vel saltem votum continentie perpetuæ edat, quin exposita maneat periculo incontinentie. c. Conjugatus. 5. de Convers. conjugat. juncta Gloss. 7. ab uxore. Et ideo extra hunc casum, matrimonio, per verba de præsentati, jure contracto, amittit beneficium, quod habuit; cum sic tacitè illi renuntiet, ut constat ex dictis, de renuntiatione in lib. 1. Sanchez l. 7. Matr. d. 42. à n. 4. c. 3. b. t. c. diversis. 5. eod. & quidem ipso jure; sic Barb. in c. 1. b. t. n. 2. adeo, ut fructus à die sic contracti matrimonii perceptos, teneatur restituere; nec possit in favorem tertii renuntiare, atque adeo beneficium tali casu statim ipso jure vacare; ita Sanchez *cit. d. n. 10. & hoc non in pœnam delicti; (cum nullum sit) sed ob incompatibilitatem cum statu matrimonii. Hinc, quando dicitur c. 1. §. 3. ejusmodi Clericos conjugatos privandos esse beneficiis, intelligè quoad possessionem, cum injustè detineant. Et quamvis ab initio fuerint habiles ad beneficium, & inhabilitate (v. g. irregularitate) superveniente, non perdant ipso jure, perdunt tamen tacitè renuntiationes, quæ intervenit in hoc casu.***

Hoc procedit etiam de pensionibus Ecclesiasticis, si quas habuit talis Clericus, titulo Clericali (nisi sint laicales, & reservatæ pro officio aliquo compatibili cum matrimonio, ut pulsare campanas, organum &c.) accessu, regressu, & quolibet alio jure ad beneficium Ecclesiasticum, ex

Clemen-

Clementina, Gratia, de Rescriptis; imò & transactione inter Titularem, & Pensionarium inita, post tale matrimonium, de quo Barb. cit. à n. 6. quod verum est de matrimonio contracto per verba de præfenti, etiam non consummato; nec recuperat, esto uxor religionem profiteatur, vel moriatur. c. quàm periculosum. 7. q. 1. cit. Clementinâ Gratia. Hoc extendunt aliqui etiam ad casum, quo matrimonium est nulliter contractum vel ex defectu solennitatis, vel ob impedimentum occursum, & ab illo ignoratum, de quibus Barbof. cit. à n. 8. sed probabilius est in hoc casu non privari ipso jure; privandum tamen esse per sententiam, nisi cum ipso dispensetur; Gl. fin. in c. 1. b. t. Sanchez. l. 3. matr. d. 43. Laym. l. 4. tr. 2. c. 14. quia sic non assumit statum incompatibilem; Non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Reg. 52. in 6.

939. Not. autem 1. si Clerici in minoribus constituti propter contractum matrimonium beneficiis priventur prius obtentis, debere illis restitui bona, quæ Ecclesiis, in quibus erant instituti, contulerunt. c. quod à re. b. t. Deinde per matrimonium non extingui dispensationem ad beneficium, quò minus illegitimus dispensatus soluto matrimonio virtute illius beneficium obtinere possit; Sanchez. l. 7. de Matr. d. 42. n. 9. Tertiò, solum Papam (non autem Episcopum) dispensare posse cum Clerico, qui constitutus in minoribus Uxorem duxit, ut beneficium Ecclesiasticum obtineat, etiamsi duxerit unicam, eamque Virginem, & Ecclesiæ alicui deservire velit; ita Pirhing. b. t. n. 20. nam inferior in lege superioris non dispensat, nisi in casu commissi; præsens autem talis non est: nec rectè arguitur ad hunc ab aliis casibus, v. g. quod Episcopus dispensare possit ad beneficium simplex cum homicida, & irregulari. c. ad audientiam. 12. de homicid. vel cum deposito ab ordine, & beneficio c. Salonitana. dist. 63. Nam hi casus sunt expressi. 2. in materia exorbitante, qualis est materia dispensationis, non est locus à simili, vel majori, ut dixi alibi.

940. Quæstio est 3. an, & quale impedimentum matrimonii sic ordinatis præstet ordo sacer? ante resolutionem supponendum. 1. per ordinem hic significari Sacra-

mentum, quo spiritualis potestas significatur, & traditur ordinato, in ordine ad consecrandum corpus Christi. Hoc Sacramentum continet sub se Ostiaratum, Lecturatum, Exorcistatum, acolythatum, subdiaconatum, diaconatum, & Presbyteratum. Ex his quatuor primi dicuntur minores, & non sacri; reliqui tres majores, & sacri ordines; Trid. Sess. 23. c. 2. Dicuntur majores, quia initiatos tali ordine in majori, & altiori gradu constituunt, quàm reliqui primi quatuor, propterea dicti minores: dicuntur sacri, quia habent annexam vel ex voto saltem implicito, vel ex præcepto Ecclesiæ obligationem servandæ continentie, ac illis initiatos in perpetuum DEO consecrant ita, ut non possint iterum fieri Laici, licet dispensari possint in obligatione continentie, & uxorem ducere, prout dicemus; & tunc, etiam non amisso ordine, sed officio, & Clericali privilegio, evadant quasi Laici.

Supponendum. 2. obligationem servandæ continentie Presbyterio, & diaconatui jam inde à temporibus Apostolorum annexam fuisse, ut pluribus ostendit Bellarmin. l. 1. de Clericis. c. 19. & alii. Subdiaconatui autem antiquitas annexa non erat, ut dicitur c. à multis 9. de etate, & qualitate ordinandorum, quia tunc non erat ordo sacer, ut habetur ibid. in textu, ibi: Sacros ordines Diaconatum dicimus, & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse; & infra: ibi: quibus verbis innuitur, quod Urbanus ad statum primitivæ Ecclesiæ se referens, in quo subdiaconatus sacer ordo minimè habebatur, &c. Jam verò certum est, & huic etiam annexam esse, ut constat ex c. nullum. 1. c. præterea. 7. c. quantò. 3. dist. 28. c. Cum olim de Cleric. Conjugat. & c. unico de Voto in 6. id quod expressè ait Innocentius III. in cit. c. à multis, ibi: verum cum hodie Subdiaconatus inter Sacros Ordines computetur.

Supponendum. 3. quòd olim, & antiquitus hoc Votum à suscipientibus ordinem sacrum expressè emittebatur, ut colligitur ex cit. c. nullum, ibi: nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit: ubi Rubrica ait: ecce ostendimus (nimirum dist. præcedente) quòd nolentes votere continen-

Hh 3 tiam,

tiam, nec ad subdiaconatum, nec ad superiores possunt gradus conscendere. Unde ad Subdiaconatum accedentes, non sine voto castitatis jubentur admitti, auctoritate B. Gregorii, qui scribens Petro subdiacono l. 1. epistolâ 42. in fine ait: nullum facere Subdiaconum Episcopi præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: jam verò eo ipso, quòd quis susceperit ordinem sacrum, votum illud tacitè emittere censetur; c. quantò. c. de his. c. præterea, dist. 28. id, quòd amplius ostensum est l. 3. de Cleric. conjugat.

Supponendum 4. obligationem servandi continentiam ex voto; vel etiam sine voto ex Ecclesiæ præcepto, non autem ex naturâ rei, nec jure divino sacris ordinibus annexam esse; prima pars probatur ex priori num. secunda verò, quòd non ex naturâ rei, constabit ex n. 942. & quòd non jure divino, ex n. 943. obligatio porrò, quam habent Clerici in sacris, non est essentialè constitutum statûs Clericalis, non regularis; ex Trid. Sess. 24. Can. 9. ibi: si quis dixerit, Clericos in sacris constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit. Ubi vides, quòd Concilium hanc inhabilitatem tribuat legi Ecclesiasticæ, vel voto. Nam status clericalis consistere potest substantialiter sine obligatione servandi continentiam, vel ex voto, vel ex Ecclesiæ præcepto, aut ex alia lege; de statu Clerici solùm in minoribus patet ex n. 938. de statu Clerici in sacris, ex n. 781. hic enim status secundùm totam substantiam simul stare potest non modò cum matrimonio antè contracto, ac ejus usu, ut ibidem dictum est, sed etiam cum contrahendo, 1. quia Clericus in sacris, dispensatus ad matrimonium contrahendum, permanent in ipso statu Clericali in sacris, seu ordine sacro, validè, licitèque contrahit. Confirmari potest validè ex n. 943. ita D. Thomas. 2.2. referendus infra, n. citato: his præmissis:

942. Ad quæstionem n. 940. propositam. Resp. ordinem sacrum sic ordinatis præstare impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, aut eo non dispensato contractum. Ratio est ex aperto jure; c. Erubescant. 11. dist. 32. ibi: Erubescant

impii, & apertè intelligant, iudicio spiritus sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & castè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. c. de diacono. 1. h. t. ibi: subdiaconum autem, sive hominem interfecerit, sive non, matrimonium non possit contrahere, sacrorum canonum censura demonstrat. c. Ex literarum 12. eod. c. Unico de voto in 6. & novissimè ex Trid. Sess. 24. de sacram. matrim. Can. 9. superius relato. Et hoc adeò quidem, ut nec Orientalibus, seu Græcis olim diaconis liquerit, jure matrimonium contrahere post susceptum sacrum diaconatus ordinem, prout habetur in c. Cum olim. 6. de Clericis conjugat. & c. si quis eorum. 7. dist. 32. juncta Gloss. in principio. ibi: si quis voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante ordinationem subdiaconatus faciat. Ex dictis deducitur, obligationem continentiam servandæ non esse ex naturâ rei annexam Ordini, qui sacer est, aliàs consistere non posset cum valore matrimonii eo stante contracti. Et quamvis Gonzalez in c. 1. de Clericis conjug. verius existimet, ordinem sacrum ratione sui, & sine ordine ad votum, esse Jure Canonico impedimentum dirimens matrimonii; probabilius tamen est, id non provenire ex ordine sacro ratione sui; sed Ecclesiæ constitutione; id, quòd ejus ratio apertè probat. Dum enim ait: verius credo, ordinem sacrum ratione sui, & sine ordine ad votum esse Jure Canonico impedimentum dirimens matrimonii, subjungit: quia si quis ordinaretur cum voluntate non emittendi votum castitatis, peccaret quidem, & ut plurimum maneret obligatus emittere votum ex pacto inito cum Ecclesiâ, non aliter volente dispensare Sacramentum Ordinis; tamen sic ordinatus non haberet votum castitatis, quomòvis inhabilis omnino foret ad matrimonium contrahendum: ergo inhabilitas non provenit duntaxat ex voto castitatis annexo Ordinibus sacris, sed ex lege Ecclesiastica, constituenta, ut Ordo sacer sit impedimentum dirimens ad matrimonium subsequutum: quare hoc impedimentum vocatur lex Ecclesiastica in Concilio Tridentino Sess. 24. de matrimon. cap. 9.

943. Ex hac enim ratione ipsius apparet, dictum auctorem vim dirimendi matrimonium attribueri Ordini sacro ex lege Ecclesie constituyente, ut ordo sacer sit impedimentum dirimens ad matrimonium subsecutum. Ceterum non apparet, quomodo per allatam rationem probet, quod *Ordo ratione sui* præter hoc impedimentum dirimens? nam *lex Ecclesie*, quæ constituit, ordinaros in sacris, inhabiles ad contrahendum matrimonium, non est aliquid ordinis sacri, nec aliquid inclusum in illo; S. b. diaconatus enim manet ordo sacer, etiamsi tollatur inhabilitas ad matrimonium legitimâ dispensatione. Ad casum autem, quem ponit de suscipiente Ordinem sacrum sine animo *vovendi continentiam*, diximus l. 3. tit. 3. de Cleric. conjug. admitti tamen potest doctrina hujus auctoris, si nihil aliud velit, quàm, quod *Ordo*, in quantum *sacer*, hoc est, in quantum *includit* dictam legem Ecclesiasticam, dirimat matrimonium ratione sui, seu ratione illius legis Ecclesie, quam explicat, *ut sacer*; ita D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 11. in corpore, ibi: *non est autem essentialiter annexum debitum continentie ordini sacro, sed ex statuto Ecclesie.*

Deducitur 2. Ordini, qui sacer est, nec jure positivo divino, annexam esse obligationem continentie. 1. quia id nullo sacre scripturæ textu probatur; nec etiam jure divino tradito; 2. quia aliàs Pontifex non potuisset indulgere Orientali Ecclesie, quando votum vel obligationem continentie non admisit; cujus tamen contrarium constat ex c. *Cum olim 6. de Clericis conjugat.* quia si esset juris divini, Tridentinum loquens de hac materia, non expressisset *solam Ecclesie constitutionem*, nulla mentione juris divini; ex quibus tandem concluditur, illam servandæ continentie obligationem ordinato in sacris annexam esse solâ Ecclesie constitutione; atque adeo auctoritate Summi Pontificis cum ordinato in sacris dispensari posse in obligatione servandæ continentie; cum in lege solùm Ecclesiastica turò dispenseret Pontifex ex causa.

944. Quæstio est 4. an illa obligatio, quæ incumbit Clerico in sacris ordinato ad servandam continentiam, *immediatè* proveniat *ex voto*, *mediatè* autem ex Ecclesie

præcepto? *vel immediatè ex Ecclesie præcepto?* aliqui affirmant hoc secundum, loquendo de Clericis non Regularibus; quia ex illo in his immediatè provenit ea obligatio, ex qua in iisdem nascitur inhabilitas ad validè contrahendum matrimonium; sed hæc immediatè nascitur ex Ecclesie constitutione. *Nec enim* (ut notat Gloss. in c. *Unico, de Voto in 6. V. sacri Ordinis*) *suscipiendo sacrum ordinem vovit, se castitatem servaturum*; ubi subjungit: *alia est causa Clerici: alia Monachi.* Eandem distinctionem supponit Trid. Sess. 24. de matr. Can. 9. dicens: si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante *lege Ecclesiastica, vel Voto*, anathema sit. Nam ex hoc satis apertè videtur deduci, *obligationem Voti* pertinere *ad Regulares*; *obligationem præcepti* verò *ad Clericos in sacris non Regulares*, id, quod non tantum indicat particula, *vel*, disjungens obligationem legis ab obligatione voti; sed etiam *diversa utriusque ratio*, quam considerat Gloss. in n. *preced.* Et ideo S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 11. ponens inter Clericos in sacris non regulares, & inter regulares maximum discrimen, ait: respectu religiosi, solenni voto castitatis ligati, Papam non posse dispensare, *in quantum continentia est essentialiter annexa*; quod non contingit in susceptione ordinis sacri; hinc enim sic infert: *Unde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentie, solennizato per susceptionem ordinis sacri.* Nam illud, huic non est essentialiter annexum, ut constat ex eodem, n. 943.

Verùm probabilius est, obligationem 945. continentie, quam habent Clerici non regulares, in sacris constituti, immediatè à voto, mediatè à præcepto Ecclesie provenire, in casu, quo votum saltem tacitè emissum est. Hanc conclusionem ex professo probavimus lib. 3. tit. 3. de Cleric. conjugat. & ita docet Sanchez. l. 7. hic d. 27. n. 10. & ratio ex usu argumenti, pro contraria opinione propositi: nam ex illo immediatè in Clericis non regularibus, qui constituti sunt in sacris, provenit obligatio continentie, ex quo immediatè in iisdem provenit inhabilitas ad validè contrahendum

trahendum matrimonium; at hæc immediatè provenit à voto *solemni*, in quantum solenne est, ut expressè habetur in *c. Unico de Voto in 6.* ergo. Min. constabit ex *num. 971.* Hoc ad minimum procedit in casu, quo votum *saltem tacitè* emissum est; hoc est, prout tenetur ex mente Ecclesiæ; hæc autem taliter ordinando exigit promissionem, seu votum continentia, ut ostensum est dict. *l. 3. tit. 3.*

946. Nec obstat Gloss. cit. superius in *c. Unicum*; ea enim aliud non vult, quàm, quod suscipiendo sacrum ordinem non voverit explicitè, se castitatem servaturum. Ad illa verba ejusdem: *alia est causa Clerici; alia Monachi*, Resp. non intendi à Glossa discrimen inter eos ex hoc sumendum, quasi Clerici non regulares, qui sunt in sacris, non ex voto tenerentur ad castitatem; secus, Regulares: sed ex hoc, quod licet ambo ex voto, magno tamen illi ab his discrimine teneantur: nam regulares tenentur ex voto, quod est de essentia status Regularis; non regulares ex voto, quod non est de essentia status Clericalis in sacris, sed huic statui solùm extrinsecus annexo lege Ecclesiæ.

Nec obstat S. Thomas; nos enim non negamus, eam obligationem in Clericis non Regularibus provenire ex Ecclesiæ statuto, prout hoc intendit S. Thomas; sed solùm dicimus ex Ecclesiæ statuto provenire *mediatè*, nimirum mediantè voto, quod non est de essentia illius status, prout est in Regularibus, id quod S. Thomas ipse satis insinuat in verbis propriis *n. 943. & seq.* relatis, ubi Papæ solùm negat potestatem dispensandi cum Religioso, ratione voti solennis de continentia, in quantum regulari statui essentialiter est annexa, non Clericali. Unde ex iisdem D. Thomæ verbis colliges, non doceri ab eo, summum Pontificem non posse cum Religioso castitatem solenniter professo dispensare ullo modo; sed tantum, in quantum continentia Regulari statui est essentialiter annexa; seu pro sensu composito retenti status regularis, nimirum dispensationem, seu immunitatem ab obligatione servandi castitatem componendo cum statu Regulari essentialiter

connexo (vel rectius essentialiter includenti) obligationem servandæ castitatis; secus enim est pro sensu diviso status regularis, nimirum per dispensationem faciendò, ut dispensatus non sit regularis.

Quæstio est, §. an matrimonium ^{947.} tantum per subsequentem susceptionem sacri ordinis dirimatur? Resp. negativè. Nam etsi hæc vis insit religioso professioni in Religione per sedem Apostolicam approbata speciali favore status Religiosi, ut dicemus infra; id tamen expressè negatur ordini sacro à Joan. XXII. in *Ext. v. Antiquus, de Voto*, ibi: Antiquæ concertationi finem cupientes imponere ac animarum periculis indè provenientibus salubriter providere, de fratrum notorum consilio *presenti declaramus edito*, quod, licet votum solennizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum (quum nec jure divino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum) invalidum est censendum; auctoritate Apostolica districtius inhibentes, ne quispiam durante matrimonio, nondum etiam consummato aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire. Et ideo mulier, maritum eâ invitâ sacris, etiam presbyteratus ordine initium cum uxoris iniuria, ad conjugium revocare validè, liciteque possit. Sic Vincentius de Justis. *l. 2. de dispens. matrim. c. 13. n. 26.* Et constat ex *cit. Extravag. ubi* postquam Pontifex statuit, ne durante matrimonio etiam non consummato ullus præsumat accipere aliquem de sacris Ordinibus, & si secus fecerit, nec dissoluto matrimonio in illo ministrare possit, nisi aliquam Religionem ex approbatis ingrediatur, & in ea profiteatur; subjungitur: si post monitionem renuerit, ipsum (si Sponsa ejus institerit) per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare.

Quæstio

948. Quæstio est 6. an, qui suscepisset sacrum ordinem sine animo se ullo modo ad servandam continentiam obligandi, nihilominus suscepto tali ordine ad illam teneretur? Affirmativam sequitur Farinacius, & alii, quos citat de Justis. lib. 2. c. 13. num. 29. Nam, qui vult ordinem, necessario vult votum; qui enim vult antecedens, vult etiam necessarium consequens. Verùm hæc ratio non probat; quia ordini secundum se non est essentialiter annexum tale votum; procedit ergo solum in casu, quo quis vult ordinem juxta legem Ecclesie à suscipiente sacrum ordinem observandam, quare ordo secundum se non est antecedens, necessario illativum voti.

949. De Justis cit. n. 30. ait, quòd, licet talis non teneatur ratione voti immediate, cum verè illud non emisit, teneatur tamen ad castitatem servandam ex lege Ecclesie; quæ, quamvis immediate non præcipiat, ut ordinatus in sacris castitatem servet, tamen mediate ad castitatem obligat. Prima pars omnino cæteris probabilior est. Nequit enim aliquis ligari voto, sine suo consensu; cum votum sit lex privata, quam quisque sibi liberè imponit; ubi autem adest efficax animus, talem sibi legem non imponendi, nequit esse talis libera impositio; ergo nec votum; ita Sanchez, cit. n. 13. quoad secundam partem (an, licet talis in ea hypothese non teneatur ad castitatem ex voto, tamen adhuc teneatur mediate ex Ecclesie statuto, ut vult de Justis cit.) ex eo difficultas est; quia sic obligatio castitatis erit immediate ex Ecclesie statuto, id quod negat Sanchez, cit. n. 10. & tunc nihil erit, quo mediante statutum Ecclesie ad castitatem obliget, quod tamen asserit de Justis; non enim potest obligare mediante voto; cum, ut ponit casus, nullum emisum sit; nec etiam mediante suscepto ordine; quia ordo ex se ad castitatem non obligat.

950. Deinde sic sponte ordinatus in sacris, & conscius annexæ obligationis promittendi observantiam castitatis, duplici obligatione adstringeretur ad castitatem; unà ex voto; alterà, ex Ecclesie statuto, quod stare possit in casu proposito, sine

Tem. IV.

voto; hoc autem dici non potest, 1. quia sic reverà immediate à statuto Ecclesie foret obligatio continentie contra n. 945. ergo non mediate. 2. sic constitutus in sacris, committens fornicationem, duplici malitià, ultra fornicationem peccaret; unà, contra præceptum; alterà contra votum. Maj. autem constat; si enim non esset duplex obligatio, nulla remaneret, præcisè sublato voto: sed his non obstantibus,

Resp. ordinatum in sacris cum expresso, ac efficaci animo non votendi castitatem, carere quidem voto in actu, ut diximus n. 949. non autem in debito; quia per hoc non deficit præceptum obligans ad votendum; hoc autem mediante, taliter ordinatum, etiam in casu voti non emissi in actu, mediante debito illud emittendi, teneri ad castitatem; nam, qui habet debitum aliquid præstandi, mediante tali debito, abstinere obligatur ab omni actu contra id, quod est in debito; sed in hoc casu votum castitatis est in debito; ergo mediante tali debito abstinere obligatur ab omni actu contra votum castitatis; ergo mediante tali debito, tenetur adhuc servare castitatem.

Ex hoc patet ad rationem dubitandi. 952. Nam licet ille ordinatus in sacris, cum positiva voluntate non votendi castitatem, in eo casu non teneatur ad castitatem ex voto in actu, seu jam emisso: tenebitur tamen ex voto in debito, seu ex obligatione emittendo. Obligatio enim emittendi votum castitatis, prohibendo illi omissionem voti, prohibet consequenter etiam actus contrarios ei, quod est in debito; hæc autem obligatio relatè ad actus voto contrarios, est solum mediata ac indirecta; immediate enim ac directè petit votum, ut rectè notat Sanchez, cit. lib. 7. hic d. 27. n. 15.

Ad alterum Resp. non sequi duas distinctas obligationes; sed unam immediate ad votendum, quæ mediata solum est respectu castitatis servandæ, mediante nimirum debito ad votum emittendum. Nec transgressio hujus obligationis contingeret in hoc casu aliam malitiam ultra fornicationem, nisi simul oppositam præcepto, quod respicit finem religionis

Ii

æque,

æquè, ac votum ex præcepto debitum, quod non est in illis casibus, ubi debitum obligationis est alterius virtutis à fine præcepti: at in hoc casu præceptum emittendi votum, & votum præceptum, respiciunt eundem finem Religionis: Ergo.

954. Cæterùm probabilius dici potest cum Castropal. p. 4. tr. 27. d. *Unica* p. 17. n. 5. in Clericis non Regularibus, qui sacris initiati sunt, obligationem servandi castitatem non solum immediatè ex voto, sed etiam ex speciali lege Ecclesiæ provenire, sed sub diversa circumstantia; ex illo, cum votum emissum est; ex ista, si votum vel ex ignorantia, vel malitiosè non emissum est; quare lex Ecclesiæ, separatim, seu seorsim à voto, ad castitatem obligans, obligat solum sub conditione voti emissi; ad votum emittendum autem absolutè. Quod autem Ecclesia ordinato in sacris, etiam non emisso continentia voto, imponat obligationem servandi castitatem, variis textibus Ecclesiastici juris probat Castropalaus cit. n. 5. addens, receptam Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, separantis ab Uxoribus eo ipso omnes, qui sacris initiati sunt. c. *Presbyteris*. c. *diaconis*. dist. 27. c. *Proposisti*. dist. 28. c. 1. *Spes votam causam*. 15. q. 8. c. à multis. de atate, & qual. c. *Ut Clericorum*, de Vita, & honest. quo loco id fufius declaravimus.

955. Ex hoc autem patet altera responsio ad rationes dubitandi à n. 950. Respondetur enim obligationem servandi castitatem, quæ incumbit Clericis non Regularibus, postquam sacris initiati sunt, immediatè provenire à voto, mediatè à præcepto, ubi votum emissum est, ubi autem prætermisum juxta casum in n. 949. immediatè à præcepto. In casu igitur voti emissi præceptum est solum conditionatum, & immediatum respectu servandæ castitatis; absolutum autem & immediatum respectu castitatis in casu voti prætermisum. Et ideo in n. 945. expressè dixi, conclusionem procedere in casu, quo votum saltem tacitè emissum est.

956. Hinc resolvi potest quæstio, an Clericus non Regularis liberè Ordinatus in

sacris, voto continentia per malitiam non emisso, inhabilis sit ad matrimonium jure, seu validè contrahendum? Negandum videtur ex eo, quia esto in tali casu sive mediatè, sive immediatè vi præcepti Ecclesiastici teneatur ad servandam castitatem; præceptum tamen illud ratione sui præcisè non inhabilitat ordinatum, sed solum ratione voti, quod in ea circumstantia emissum; Ecclesiæ constitutione, solennizatur; cum ergo in dato casu deficiat voti solennitas, etiam deficit inhabilitas. Sed Resp. quod constitutio Ecclesiæ non inhabilitet ordinatum, ob reverentiam voti sed ob reverentiam status Clericis assumpti, quem oportet ab operibus carnis omninò esse sejunctum; mediatè quidem, ubi votum in eo actu emissum est, aut postea, saltem tacitè, seu factoratificatum, immediatè verò, ubi hoc est prætermisum. Nam ex hoc habet *Ordo sacer*, quod explicet distinctum impedimentum dirimens matrimonium, ab impedimento voti, cæteroque numerandus solum sub impedimento voti. Ex quo patet ad quæstionem responsio affirmativa.

Ad rationem in contrarium Resp. 957. cum dist. anteced. præceptum tamen illud, ratione sui præcisè, non inhabilitat immediatè ordinatum; in casu voti emissi, C. *voti prætermisum*. N. ant. Unde licet in dato casu deficiat solennitas, immediatè nascens à præcepto, in casu puritate conditionis, si votum non emitteretur; adhuc tamen staret reverentia status assumpti, quem respicit præceptum sacris initiatos inhabilitans, etiam voto non emisso.

Hinc colliges, quòd, etsi obligatio ad servandam castitatem esset ex solo præcepto Ecclesiæ in Clericis non Regularibus, & non ex voto, talis tamen Clericus, commissa fornicatione, in confessione teneretur explicare non tantum fornicationem, sed etiam circumstantiam, quæ fornicationem talis personæ transfert ad novam speciem malitiam, ratione subiecti eam committentis, quod est, esse constitutum in sacris; hoc enim importat circumstantiam præcepti Ecclesiastici hoc casu violati per actum oppositum virtuti, cujus finem directè respicit Ecclesiæ præceptum, obligans ejusmodi Clericum ad vovendam casti-

castitatem; finis autem illius præcepti est Religionis, seu DEI cultus à Ministro præstandus etiam puritate corporis, ut tenet communis.

Quòd autem Ecclesia reverà præceperit, ut promovendi ad ordinem sacrum, castitatis votum emittant, probavimus l. 3. & fuse ostendit Sanchez. cit. n. 10. nullum facere Diaconum præsumant Episcopi, nisi qui se viturum castè promiserit. c. 1. dist. 28. ubi Gloss. V. Promiserit, ait, expressè vel tacitè, & c. Cum olim. 6. de Cleric. conjug. ubi: nos igitur attendentes, quòd orientalis Ecclesia votum continentie non admittit; ubi clarè supponit, in Ecclesia Occidentali, quæ est Latina, id votum ordinibus esse annexum. Et tamen si verum sit, observantiam castitatis esse rem solius consilii, non præcepti, ut constat ex I. Corinth. 7. & tanquam virtus observatu difficillima præcipi nequeat absolute jure Ecclesiastico; arg. c. Erit autem. distinct. 4. potest tamen ex suppositione, cujus amplexum, cuius liberum relinquit, qualis est suppositio, quòd quis liberè amplecti velit statum Clericalem in sacris.

Ex dictis colliges, liberè suscipientem aliquem sacrum ordinem, eo ipso tacitè votum servandæ continentie emitte, quòd liberè velit suscipere talem ordinem, prout obligatur ex mente Ecclesie, non tantum attingente substantiam Ordinis, sed etiam reliqua in ejus susceptione præcepta: sic enim manifestum est, quòd tacitè velit promittere castitatis observantiam; cum hæc promissio sit unum ex iis, quæ præcepta sunt in Ordinis susceptione. Et hoc procedit, licet (recipiens sacrum ordinem) ignoraverit, hoc præceptum susceptioni ordinis sacri annexum; sufficit enim, quòd efficaciter voluerit susceptionem Ordinis, prout est sub obligatione recipientis.

Et ideo, si ea voluntas efficax est, quæ vult recipere sacrum ordinem, sicut vult Ecclesia, etsi adsit animus non vovendi castitatem, hic animus inefficax erit, nec impediet tacitam emissionem voti. Nam inter voluntates contrarias ea prævalet, quæ efficax est; at voluntas recipientis sacrum ordinem, & præstandi omnia, quæ in tali actu præcipit Ecclesia (inter

quæ est, vovere castitatem) ponitur efficax; ergo. In dubio autem, an prima voluntas fuerit efficax? in foro poenitentiali standum est intentioni poenitentis; in foro fori præsumitur efficax; sic enim ordinandi recipere ordinem debent, & solent; & ignorantia juris clari, prout est hic, non præsumitur.

Quæstio est 7. an infans in sacris ordinatus ex hoc contrahat obligationem castitatis perpetuæ? Resp. posse quem validè in sacris ordinari ante usum rationis; haberi ex c. Unic. de Clerico per saltum promoti; tali tamen casu ordinatus non contrahit obligationem servandæ continentie; non ex voto in actu; quia tale necdum emittere potuit defectu libertatis, quæ non stat sine usu rationis: nec ex voto in debito; quia tunc non erat capax obligationis ex præcepto: non etiam ex natura suscepti ordinis; cum hoc sit extra naturam ejus, & essentiam ex dictis. Et ideo talis validè inquit matrimonium, quia susceptus ordo sacer non dirimit matrimonium, nisi ratione voti solennis in actu, aut præcepti, quo gravatur scienter volens in sacris ordinari, nec ad castitatem obligat, nisi ratione voti, vel actu, vel in debito: at neutrum habet infans in sacris ordinatus; ergo. Excipe tamen, nisi usum rationis adeptus suam ordinationem juxta mentem Ecclesie, ratificaverit expressè, vel tacitè; sic Barb. in cit. c. Unic. n. 7. & alii.

Quæstio est 8. an impuberes, liberè suscipientes ordinem sacrum juxta leges Ecclesie, nec positivè animum vovendi excludentes, contrahant obligationem servandæ continentie? Resp. probabilius esse, quòd sic. Nam hoc ipso, quòd quis liberè, ac efficaciter, velit suscipere sacrum ordinem, quin positivè excludat animum vovendi, tacitè emittit votum castitatis, solennizatum. Nec obstat, inhabilitas emittendi solenne votum castitatis in impubertate per professionem religiosam. Nam hoc non est ex jure naturali, sed tantum positivo; ab hoc autem non rectè deducitur paritas ad solenne votum castitatis per susceptionem ordinis sacri. Aliàs etiam valeret, ut hoc ipso censeretur dispositum de suscepto sacro ordi-

ordine quoad vim dirimendi matrimonium ratum tantum, prius inicum: quod particulari jure in hoc dispositum est de professione religiosa, cujus tamen contrarium est ex n. 947.

Et ratio est, quia jus positivum, præfertim humanum, valdè raro in his, quæ jure naturali, ac divino permiffa sunt, disponit aliquid ex rei natura secundum se, seu ex causa, in quantum necessaria est, & communis omnibus sub ea contentis, (qualiter rectè concluditur, hominem posse sentire, quia animal est) sed ex ea solum relatè ad circumstantiam casus particularis, non communem aliis; aliàs dispositum de crimine læsæ Majestatis in personam humani principis, ut privet jure asyli Ecclesiastici, eo ipso, & à fortiori etiam esset dispositum de crimine læsæ Majestatis divine, contra claram constitutionem Gregor. XIV. incip. Cum aliis nonnulli, de quâ in supra dictis frequens mentio facta est.

964. Quæstio est 9. an contraheret obligationem servandi castitatem, ac impedimentum dirimens matrimonium ordinatus ex metu cadente in constantem virum injustè incusso, directè ad sacri ordinis receptionem? Resp. hanc quæstionem pendere ab illa, an Ecclesiæ tales, in simili casu, intendat obligare ad votum emittendum? aut eo prætermisso, ad servandam castitatem, etiam in hoc casu eos inhabilitando ad matrimonium? si votum jure naturali est invalidum, ubi ex tali metu extortum est, certum est, tunc Ecclesiam non intendere, ut, ordinem sacrum suscipiens, votum emittat: si validum? non obstante injuriâ tam gravi, probato tali metu, justè votum sic ordinato remittitur; quod etiam dicendum venit in casu, quo reverà non voveret, quoad præceptum obligans in hac suppositione voti non emissi. Cæterum mihi probabilius videtur, in tali casu non esse de mente Ecclesiæ, tam justè invitum, & solum iniquè coactum ad amplectendum statum Clericalem in factis, velle aut mediâtè, aut immediâtè obligare ad castitatem, aut inhabilitare ad matrimonium; cum hoc videatur repugnans

intentioni tam benignæ matris in talibus circumstantiis.

Quæstio est 10. an Ordo sacer invalidè susceptus idem impedimentum præstet, quod susceptus validè? Resp. negativè. Nam effectus ille, seu impedimentum nascens ex liberè suscepto sacro ordine non per se, sed solum accessoriè, sequitur ex consensu in susceptionem sacri ordinis, juxta mentem Ecclesiæ; cum sit consensus solum tacitus in accessorium. Nec obstat, Conjuges Religionem invalidè profectos adhuc teneri ad castitatem statui congruam; nam profitendo Religionem, expressè vovent castitatem, consequenter voluntatem suam valere volunt, qualiter potest; sic Castropal. cit. num. 7.

ARTICULUS II.

De impedimento ex Voto.

Etsi potissima difficultas sit de solemnitate voti castitatis; de aliis tamen etiam votis non solemnibus dubitari potest. Sollemnitas voti castitatis, in quantum voventem reddit inhabilem ad contrahendum subsequens matrimonium, ex Ecclesiæ constitutione habetur per hoc 1. quod tale votum emittatur, vel in actu, vel in debito, dum quis iniciatur ordine sacro. 2. quod emittatur, actu professionem emittendo in Religione per sedem Apostolicam approbata; Constat ex c. Unico. de Voto in 6. in sequentibus magis explicando.

§. I.

An & quale impedimentum matrimonii præstet votum simplex?

Prima quæstio est de simplici voto castitatis; ad quam Resp. 1. quod simplex votum castitatis, seorsum à reliquis cum illo emissis, emittentem verè, ac propriè constituentibus Religiosum, æquè, ac apud alios id præstet professio, præstet impedimentum solum impediens, non autem dirimens matrimonium contrahendum; habetur expressè in c. Rursus. 6. b. t. ibi: cum

cum votum simplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum. Idem habetur in c. Unic. de voto in 6. aliud est de simplici voto castitatis emissio post bennium Novitatus ab his, qui voto promissis Consilii Evangelicis se DEO dedicant in Societate JESU; hoc enim, impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, voventi præstat speciali Ecclesiæ constitutione, ut constat ex constit. Gregor. XIII. in Bulla, Ascendente Domino, edita 1584. ibi: nec ante à Societate dimissionem, matrimonium contrahere; quin imò eos omnes ad contrahendum inhabiles (loquitur de his, qui sola vota substantialia, licet tantum simplicia in Societate emisissent) ac contractus hujusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, ac annullamus.

967. Dices: ergo etiam ejusmodi votum substantiale Religiosæ castitatis, quantumvis simplex tantum, solvet matrimonium ratum tantum, prius contractum; pater illatum: Nam vota Societatis non professe, licet simplicia, ex constitutione Gregor. XIII. habent eandem vim, non secus, ac professio tum in Societate, tum quorumvis aliorum ordinum Regularium, ut constat ex cit. constit. Gregor. XIII. ibi: non secus atque ipsos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium ordinum Professos: sed vota substantialia tum Societatis Professe, tum aliorum Regularium ordinum dirimunt matrimonium ratum tantum; ergo & illud. Resp. N. illatum, ad hujus prob. Resp. cum distinct. vota Societatis non professe habent eandem vim, ac professio tum in hoc, tum in aliis Ordinibus Religiosis, si sermo sit de vi dirimendi matrimonium post illa contractum, C. si de vi dissolvendi matrimonium rarum tantum, ante illa contractum. N. maj. hinc data min. N. conseq. Manifestum enim est ex ipsa constit. Gregor. XIII. quòd ea vota simplicia non in omnibus comparet cum professione; sed tantum quoad effectum constituendi verè Religiosum; & vim dirimendi matrimonium post illa contrahendum.

Hunc plurimum errorem, volentium metiri ea vota, & institutum Societatis ex communibus aliorum regularium ordinum rationibus, formis, ac statutis, animadvertens summus Pontifex, in Constitutione, Ascendente domino, ita loquitur: Quia tamen non desuit temeraria quorundam audacia, qui post declarationem, decretum, præceptum, & interdictum nostrum hujusmodi, non solum multa, ex prædictis, & fortasse alia ad Societatis institutum, ac vivendi formam spectantia labefactare, sed & ipsa Apostolica decreta, ac præcepta publicè, & ex cathedra, ausu temerario, impugnare, mentemque nostram perversè interpretari non erubescant, disputantes & prædicta in dubium revocantes; omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis, ac statutis metientes, Societatis institutum, peculiare Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, à sede Apostolica in eadem Societatis Religione probata admissorum penitus ignorantes, ac nonnulla jure antiquo, quæ post illud successu temporum hujus sedis auctoritate, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegiis sancita & roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur. Quin etiam Nos supra dicta, motu simili, & ex certâ scientiâ, de Apostolica potestatis plenitudine decernentes, ac præcipientes, privato sensu locutos fuisse, ac tanquam privatos doctores, errare potuisse, imò verè, & de factò, ob falsam supra dictorum informationem, errasse; ideoque præceptum nostrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem præterea eorum, qui solemnem professionem in dictâ Societate non emisissent, de illius corpore, aut verè & propriè Religiosum esse posse, sed eos merè seculares, ac Ordinariorum jurisdictioni subditos existere; nec Societatem ipsam, aut illius superiores, imò nec nos jus in eos ullum, ex vi votorum hujusmodi, habere, vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse: non considerantes voti solennitatem solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse; triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, aut substantialia Religionis vota, ab hac sede fuisse admissa; illaque emittentes in statu Reli-

ionis verè constitui; quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, sequè divino servitio in ea mancipant; in quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere: aliisque atque aliis modis Societatem ipsam impetunt, universali Ecclesiæ perutilem; & ubi plurima istiusmodi errorum, & falsæ contra institutum Societat. JESU doctrinæ capita enumerasset, sic concludit: & ut contradicentium audacia coerceretur, præmissas omnes & quasvis alias illis similes asserciones contra dicta Societatis Institutum, vel quomodolibet in illius præjudicium pronuntiatas, aut scriptas, falsas omnino, & temerarias esse, & censeri debere. Præcipimus igitur in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub penis excommunicationis lætæ sententiæ; nec non inhabilitatis ad quævis officia, & beneficia secularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipso, absque aliâ declaratione incurrendis (quarum absolutionem nobis & successoribus nostris reservamus) ne quis, cujuscunque status, gradus, & præminentia existat, dicta Societatis institutum, constitutiones, vel etiam præsentas, aut quemvis earum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid, supradicta concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsto colore, directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat; districtius inhibentes, ne quis sive extra, sive intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis, aut inferiorum Præpositorum licentiâ notationes, declarationes, Glossas, vel scholia ulla super præmissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam injicere, vel in controversiam, aut dubium revocare audeat quoquo modo; nec Glossas, aut interpretationes, sive impressas, seu scriptas ad id pertinentes, legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere præsumat; si quid verò dubii de iisdem oriri contigerit, ad sedem prædictam, vel ad Generalem Præpositum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur. Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque iudices, & Commissarios, etiam causarum Pala-

tii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quavis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; nec non irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Dices 2. ergo illud votum castitatis erit, & non erit simplex. Erit, quia ita supponitur; non erit, quia vim habet voti solennis, imò solenne est. Ex hoc enim votum castitatis professe, solenne est, quòd habeat vim dirimendi matrimonium, ex constitutione Ecclesiæ; sed eandem vim ex Ecclesiæ constitutione habet illud votum simplex, ut ponitur; ergo etiam erit solenne. Resp. N. illatum; ex hoc, quòd piper habeat vim faciendi aliquem effectum caloris, vel ignis, nimirum productivam caloris, non sequitur; ergo piper est calor, vel ignis; ergo neque ex hoc, quòd illud votum simplex habeat vim faciendi aliquem effectum voti solennis, sequitur; ergo solenne est. Nam votum non dicitur solenne formaliter relatè ad matrimonium dirimendum, ob eam virtutem præcisè; sed ab eo, quòd in certis circumstantiis (nimirum in susceptione sacri ordinis, vel professione religiosa) emissum sit, & Ecclesia illi hanc vim attribuerit: at illi voto simplici Ecclesia non attribuit eam vim ex eo, quòd in talibus circumstantiis sit emissum (alias etiam ante hanc Pontificis constitutionem habuissent vim dirimendi matrimonium ratum) sed ex eo, quòd hoc bono talis Instituti (ex quo tanti fructus in Ecclesiam DEI redundarunt, ac redundant) ob causas planè peculiare plurimum expediens sit, ut loquitur Pontifex in eadem Constit. Plus ergo his votis simplicibus attribuendum non est ad alios effectus extrinsecos, quàm Ecclesiæ constitutione illis tributum sit; at in ordine ad matrimonium post ejusmodi vota jam emissâ, nihil illis Ecclesiæ constitutione tributum est, quàm vis dirimendi matrimonium post illa contrahendum, aut illis stantibus contractum; ut constat ex n. 966. ergo.

970. Secunda quæstio est, an, & quale impedimentum matrimonii præstat votum ingrediendi religionem? Resp. quòd, si ante Sponsalia emissum sic hoc votum, præstat impedimentum impediens, non autem dirimens: quoad secundam partem constat ex c. *Meminimus*. 3. b. t. ibi: *si nec habitum suscepit, nec professionem, sed votum solummodo fecit, & se ad religionem transturum promisit, licet postea matrimonium contraxerit, non est cogendus ad religionem transire, & matrimoniale votum rescindere.* Quoad utramq; verò partem, ex c. *Consultuit*. 4. eod. ibi: *sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum: ita habitus sine professione susceptus, ne contrahatur impedit, sed contractum nequaquam dissolvit.* Quid autem operetur quoad Sponsalia de futuro, sive ante, sive post illa emissum sit, dictum est sup. ubi etiam respondimus quoad ejus effectum de voto suscipiendi ordinem sacrum. Illud annotandum, eum, qui emisit votum ingrediendi religionem, per hoc nec in actu, nec in debito habere vota religionis; sed solum teneri ad ingressum, adeoque hunc duntaxat esse in debito, & quidem conditionatè tantum, si religio eum recipiat; ubi vides, objectum voti non esse aliam obligationem; secus, objectum præcepti de voto emitendo in susceptione ordinis sacri.

§. 2.

An, & quale impedimentum matrimonii præstat votum solenne?

971. Supponendum t. nos hic loqui de solennitate Voti, in quantum hoc, vi illius, præstat impedimentum matrimonii. Nam votum castitatis ex se, & naturâ suâ matrimonium nullum præstat impedimentum dirimens; t. quia ex se, & naturâ suâ præcisè statante matrimonio contracto, ex n. priori; & contrahendo, ex eod. deinde votum simplex, & solenne non differunt substantialiter, & in natura voti, ex c. *Rursus*. 6. b. t. ibi: *cùm simplex votum apud DEUM non minus obliget, quàm solennæ, ut ait Cœlestinus. III. sed illud ex*

*naturâ voti præcisè non præstat impedimentum dirimens matrimonium; ergò nec istud. Maj. præterea prob. 1. quia neutrum ex naturâ suâ est strictior promissio castitatis, nec etiam unum majoris, alterum minoris continentiæ, si ambo sint perpetuæ, ac perfectæ castitatis, ut supponimus. Secundo, votum solenne non dirimit matrimonium, in quantum est præcisè votum (aliàs idem faceret votum simplex) sed in quantum est solenne; sed hanc solennitatem non habet votum ex natura sua, & ex se præcisè: probatur t. ex c. *Unico*, de voto in 6 ubi Pontifex, exponens, quale votum castitatis dici debeat solenne in ordine ad dirimendum matrimonium eo stante contractum? ante responsionem ait: nos attendentes, quòd voti solennitas (in ordine ad dirimendum matrimonium, de qua ibidem quærebatur, ut ostendi supra) ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa; subjungit, presentis declarandum duximus oraculo sancti Etionis: illud solum votum debere dicit solenne (quantum ad post contractum matrimonium dirimendum) quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de religionibus per sedem apostolicam approbatis; sed nec ista Ecclesiæ constitutio, nec sacri ordinis susceptio, convenit voto castitatis ex naturâ rei, aut jure Divino; ergo neque solennitas, in quantum ad post contractum matrimonium. vide dicta d. n. 944.*

Idem expressè habetur in Constit. *Ascendente Domino*, ubi Pontifex reprobat sensum eorum, qui dicebant, neminem eorum, qui solennem professionem in Societate JESU non emisissent, de illius corpore, aut verè, & propriè religiosum esse posse. Rationem dat, quia non considerarunt, voti solennitatem solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse, consequenter ad constituendum verè, ac propriè religiosum, non requiri solennia, sed tantum substantialia religionis vota, quæ non ex essentia sua, sed ex Ecclesiæ invento, pro certis casibus duntaxat (iis nimirum, de quibus supra num. præcedenti ex c. *Unico*) evadunt solennia: his præmissis:

Kk 2

Resp.

972. Resp. ad quæstionem, per solenne votum castitatis præstari sic ligatis impedimentum dirimens matrimonium eo stante contractum, aut contrahendum, habetur expressè *c. de diacono. 1. & c. Meminimus. 3. c. Insinuante. 7. h. t. c. Unico. de Voto in 6.* de quibus vide dicta *lib. 3. de Cleric. conjugat.* Hanc porrò vim dirimendi matrimonium sic contractum, aut contrahendum, voto castitatis in professione religiosa emisso, non competere jure naturali, aut divino, sed merè Ecclesiastico probatum est supr. ubi etiam ad ea, quæ opponi possunt, responsio data est: quæ porrò concernunt in hac materia mentem Angelici Doctoris, exposita sunt partim *n. 943.* partim etiam *n. 946.* Ex hoc colliges, nullum votum castitatis, nisi emissum in susceptione ordinis sacri, aut professione Religionis approbatæ à sede apostolicâ, esse *solenne*, saltè per ordinem ad præstandum matrimonio impedimentum dirimens, sed *simplex* tantummodò, seu non solenne, ut expressè statuitur in *c. Unico, de Voto in 6.*

973. Præter jam dicta, ex hoc titulo colliges seqq. 1. Diaconum, qui alium Diaconum vulneravit, & uxorem accepit, licet factus sit irregularis, debere ab illa separari; cùm matrimonium sit nullum; & hoc factò, si humiliter pœnitens ad Ecclesiam redierit, post obtentam absolutio-

nem, & injunctam super utroque delictò pœnitentiam, & peractam, ab Episcopo posse dispensari, ut in diaconatu ministraret; & si deinde decenter vixerit, etiam ut in Presbyterum valeat ordinari; sic Alexander III. ad Archi Episcopum Remens: *c. de Diacono. 1. h. t.* ubi adverte, ex hoc casu, irregularitatem per solam pœnitentiam non tolli, sed requiri absolutio-

974. Collig. 2. si subdiaconus ducat uxorem, & pœnitens Religionem profiteatur, in eaque decenter vivat; arbitrio Episcopi posse permitti ascendere ad ordines altiores; si autem nolit Religionem ingredi, nec posse ascendere ad altiores, nec in subdiaconatu ministrare; sed tantùm in minoribus. *c. ex litterarum. 2. eod.* quod tamen limita, ut procedat, si contraxit cum unica eaq; Virgine; non autem si cum vidua, vel corrupta, aut contraxit secundò, ut colligitur ex *c. 1. & 2. de Bigamis.* Covarruvias in *Clement. si furiosus p. 1. § 2. n. 2.* conditionem autem illam: *si verè pœnitentes sint, & Religionem ingrediantur*, in ordine ad effectum, ut Episcopus cum eo dispensare possit, intelligi de consilio, vult Sanchez *lib. 2. Matrim. D. 36. n. 20.* sed textus habet: *si noluerit, eum non permittas.*

